

defungi potest, et vult ipse Episcopus; nec ea solus expedire, quibus ex rationabili causa Episcopus contradicit.»

(31. Coadjutor vivere debet, et recipere congruam portionem de proventibus Ecclesiae, seu Beneficii, cujus praelato, vel Beneficiario datus est; c. de Rectoribus 3. de Cleric. agrot. ibi: « De facultatibus Ecclesiae ad sustentationem suam congruam recipiat portionem; » cap. Pastoralis unic. de Cler. agrot. in 6. § Præsenti ibi: « Præsenti quoque adjicimus Sanctioni, ut Coadjutores hujusmodi, de proventibus Praelatorum, in quorum assumuntur auxilium, sumptus recipiant moderatos. » Concordat Conc. Trid. sess. 21. cap. 6. de reform. ibi: « Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati eisdem illiteratis, et impeditis, si alias honestæ vitæ sunt, Coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare... possint. » (32. Et in hoc conveniunt omnes Doctores, quando redditus Ecclesiae, seu Beneficii sunt abundantes, seu saltem sufficiunt pro congrua sustentatione tam Coadjutoris, quam Coadjuti v. gr. ægrotantis. (33. Sed quis sit præferendus, an Coadjutor, vel Coadjutus, quando redditus Ecclesiae non sufficiunt pro utroque, non parum controvertunt Doctores; Glossa enim final. in d. cap. de Rectoribus 3. de Cleric. agrotan. tenet, quod ex proventibus Ecclesiae prius sit providendus Coadjutor, utpote operarius, qui Ecclesiae inservit, ac proinde dignus est cibo suo, juxta illud Matthæi 16. Dignus est operarius cibo suo. (34. Coadjuto autem infirmo provideat postea Episcopus. Et ad hoc allegat cap. 1. et 2. dist. 82. et cum Glos. concordat Tancred. et Goffred. in d. c. de Rectoribus, Henric. Boich. in d. cap. Consultationibus, de Cleric. agrot. (35. Sed tenenda est sententia contraria, quod scilicet in casu dictæ insufficientiæ reddituum Ecclesiae pro utroque, sit præferendus Coadjutus, et ipse potius sit subveniendus, quam Coadjutor; et sic tenent Vincentius Cardinalis, et Abbas in d. cap. de Rectoribus n. 3. Barbosa ibid. num. 4. Fagn. ibid. num. 12. Pirhing. lib. 3. decr. tit. 6. n. 8. Reiffenstuel ibid. num. 57. Engel ibid. num. 7. et alii magis communiter. (36. Et ratio est, quia Coadjutus infirmus adhuc remanet Praelatus, et Rector Ecclesiae, saltem quoad Jus, licet non quoad exercitium; adeoque illi prius subveniendum est de redditibus Ecclesiae tamquam proprio Rectori, et Praelato; maxime quia his adhuc ut infirmus residere debet; ut pro Parocho declaravit Sacra Congr. Conc. his verbis: « Propter Deputationem Coadjutoris Parochus, cui datur, non poterit abesse a residentia; » sic refert Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 5. § 9. n. 30. (37. Et pro Episcopo declaravit Sacra Congr. Episcoporum, et Regular. his verbis: « Cum episcopus Nicotenen. eo, quia Coadjutorem in ejus Episcopatu haberet, a residentia abesset, Sanctissimus sub die 7. Sept. 1619. mandavit dari Literas Episcopo eum monendo, quod concessio Coadjutoris non liberat a residentia, et quod propterea omnino ad suam ac-

cedat residentiam; » sic refert Barbosa lib. 1. Juris Eccles. univers. cap. 17. num. 13. Unde cum sic ratione hujus suæ residentiae censeatur Ecclesiae suæ deservire; cap. 1. de Cler. agrot. merito ex ejus facultatibus est sustentandus; c. Cum secundum 16. de Præbend. (38. Et cum Coadjutus habeat titulum, et possessionem cum servitio residentiae, præferendus est Coadjutori, qui ex Rota dec. 410. n. 5. par. 4. rec. nec titulum habet, nec possessionem, sed nudum exercitium. Alioquin si ægroto subtraherentur stipendia, hoc exemplo deterriti non invenirentur, qui vellent Ecclesiae militare, ut dicit Pontifex in cit. cap. 1. de Clerico agrotante, ibi: Quia si alii ejus essent exemplo deterriti, forte non posset, qui militaret Ecclesiae, inveniri. (39. Tum quia pro hac nostra sententia multum etiam facit textus in d. c. de Rectoribus, quod scilicet Coadjutor de facultatibus Ecclesiae ad sustentationem suam congruam recipiat portionem; et textus in d. c. Pastoralis unic. de Cleric. agrot. in 6. quod scilicet Coadjutores hujusmodi de proventibus Praelatorum, in quorum assumuntur auxilium, sumptus recipiant moderatos; et textus Concil. Trid. dict. sess. 21. c. 6. de reform. quod scilicet Episcopi partem fructuum eisdem (Coadjutoribus) pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, ex quibus textibus satis innuitur, quod proventus Ecclesiae primo, et principaliter sunt in dispositione Coadjuti, veluti Praelati, et Rectoris Ecclesiae, et consequenter, quod illius necessitati prius sit providendum, et postea, si redditus sufficiant, sit providendum Coadjutori cum congrua portione, seu cum moderatis sumptibus, seu cum parte fructuum ipsius Ecclesiae. (40. Si vero redditus Ecclesiae pro utroque non sufficiant, tunc Coadjutori, pro quanto adhuc ipsi ad congruam sustentationem deficiet, providebit Episcopus, in quantum sibi possibile fuerit; juxta c. 1. dist. 82. alleg. a Glossa supr. n. 34. pro sententia contraria.

(41. Et si nullo modo id Episcopus præstare sufficiat, tunc auctoritate ejusdem Episcopi erit cogendus populus ad Coadjutori necessaria præbenda; arg. cap. Omnis Christianus 67. de Consecratione dist. 1. et Glossa ibid. verb. Vacuus, et c. ad audientiam 3. et c. de his 4. de Eccl. edificand. Et Conc. Trid. sess. 22. c. 4. de reform. ubi statuitur, quod si redditus Ecclesiae non sufficiant pro Sacerdotibus Parochialium noviter erectarum, cogi possit populus ea ministrare, qua sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam; et in Coadjutore sic alias respondit Sacra Congregatio ejusdem Concil. interpret. in Theatina, ut refert, et tenet Fagnan. in c. de Rectoribus 3. de Cleric. agrot. num. 13. et sic etiam tenent Abbas ibid. n. 5. et 6. Barbosa num. 4. Azorius par. 2. lib. 3. cap. 2. num. 9. Pirhing. lib. 3. decr. tit. 6. num. 8. Reiffenstuel ibid. n. 58. et alii passim.

(42. De his, quæ concernunt Coadjutorem perpetuum datum Archiepiscopo, vel Episcopo, habetur specialis declaratio Sacra Congr. Rituum data 31. Jan. 1561. ad dubia

proposita nomine Cardinalium Paoletti, et Veronen. quibus respondendum censuit, ut sequitur.

(43. Ad primum dubium censuit Coadjutori cum futura successione non licere ingredi Civitatem Pontificaliter, quia licet sit Coadjutor cum futura successione, ex quo tamen non habet jus in re, sed ad rem, non debet recognosci tamquam Superior, et Caput, sed uti Coadjutor, et eo magis, quia contingere potest, ut non succedat in Episcopatu, sed prior moriatur.

(44. Ad secundum respondit, ipsum non debere uti Cruce in Divinis, nec in functionibus Pontificiis, nec dum incedit per Urbem, cum Crux sit signum, et ornamentum dignitatis, et Jurisdictionis, et Coadjutor utraque careat.

(45. Ad tertium censuit Coadjutorem Pontificalia in Ecclesia exercentem absente Archiepiscopo uti posse Cappa, cum ea sit tantum ornamentum Dignitatis Episcopalis, præsentem autem Archiepiscopo uti debere Mantelletta, et Rochetto; neque licere unquam Coadjutori uti Mozzetta, et Rochetto etiam absente Archiepiscopo, cum hoc proprium sit ejus, penes quem est Dignitas, et Jurisdictio.

(46. Ad quartum respondit negative, cum una sedes non capiat duos.

(47. Ad quintum censuit Canonicos esse compellendos, ut Coadjutori Episcopo solemniter celebranti, et Pontificalia exercenti semper assistant, alioquin indecorum videretur, si Episcopus sine Canonicorum assistentia celebraret, nec non videretur esse contra Decretum Concilii Trid. quod extensive huic etiam casui accommodari potest.

(48. Quoad circulos respondit, Canonicos non debere accedere ad circulos, cum ipsi circuli denotent membrorum unionem ad ipsum Caput, ut ex superius deductis constat, Coadjutorem non debere esse Caput.

(49. Quo vero ad Confessionem faciendam cum celebrante solemniter, respondit decere, ut Coadjutor Episcopi Confessionem faciat cum Sacerdote Canonico celebrante, ut idem quoque benedicat in fine Missæ, ne populus præsens Divinis Benedictione Episcopali defraudetur, et jam est usu receptum, ut Episcopus benedicturus in fine Missæ faciat etiam Confessionem cum celebrante.

(50. Ad sextum censuit, licere Coadjutori, de licentia tamen Archiepiscopi, benedicere populo, dum per Civitatem incedit.

(51. Ad septimum respondit, maxime decere, ut Canonici prodeant obviam Coadjutori Episcopo ad Ecclesiam Pontificaliter accedenti ad ostium Ecclesiae, eumque discedentem ad idem ostium deducant, immo esset valde commendandum, si nonnulli Canonici officii, et urbanitatis gratia ad ipsius Coadjutoris aedes accederent.

(52. Ad octavum respondit Coadjutorem non habere facultatem largiendi Indulgentias, et sic eas Archiepiscopi nomine, si quas Archiepiscopus concedere voluerit, esse publicandas.

(53. Coadjutor Episcopi non sedet cele-

brans nisi in Faldistorio, neque habet Diaconos assistentes, neque Canonicos paratos, neque septimum Candelabrum. S. C. Rit. 1. Sept. 1607. (54. Nec utitur Baculo, nisi in Ordinationibus. Eadem Sacra Congregatio eodem die, et anno. (55. Ipse tamen Coadjutor Episcopi celebrans præter Diaconum, et Subdiaconum, debet habere assistentem Canonicum pro libro. Eadem Sacra Congregatio 7. Augusti 1627. (56. Coadjutor Episcopi non tenetur visitare Limina Apostolorum, sed Coadjutus. Eadem Sacra Congr. Concil. 4. Augusti 1609. (57. Coadjutor Episcopi etiam non adhibitus ad ullam functionem, tenetur residere, neque discedere potest absque consensu Coadjuti, vel licentia Sacrae Congregationis; et tenetur quoties fuerit requisitus Pontificalia, et alias functiones obire, quamvis Coadjutus propria impedimenta non probet. Sacra Congregatio Episcoporum in Fulginat. 28. Maii 1628. (58. Non potest dictus Coadjutor præsentem Coadjuto Benedictionem Pontificalem imperitari; non est tamen cogendus in hoc casu Missas, aut Vesperas celebrare, sed hoc peragi debet a simplici Canonico, vel Dignitate; tenetur tamen interesse Concioni in Cathedrali etiam absente Coadjuto in loco decenti, et separato, sed non sub Baldachino. Eadem Sacra Congregatio in d. Fulginatensi eodem die, et anno. (59. Coadjutor debet, quoties fuerit requisitus, Coadjutum in Visitatione comitari; expensis tamen ipsius Coadjuti pro eo, et familia, et absque ulla exactione Procurationis ratione ejusdem Coadjutoris. Visitans autem ex commissione Coadjuti non potest recusare assistentiam Vicarii Generalis cum facultatibus, quas ei dare Coadjuto placuerit. Eadem Sacra Congregatio Episcoporum in d. Fulginaten. eodem die, et anno, ut refert Nicol. in lucubrat. tom. 2. tit. 6. lib. 3. num. 3. 6. 7. 9. 10. et 11. (60. Cum Episcopus habens Coadjutorem est impeditus, non potest functiones alteri, quam Coadjutori delegare. Sacra Congregatio Episcoporum in Firmana 25. Septembris 1623. apud Nicol. loco citato num. 5. ubi num. 12. ait, quod Episcopus non potest Coadjutorem punire, licet sit etiam Canonico, vel Archidiaconus in sua Ecclesia, et sic nec ratione Beneficii. Sacra Congregatio Conc. in Posnaniens. 18. Febr. ejusd. anni. (61. Episcopus Coadjutus debet dare suo Coadjutori commoditatem habitationis in Palatio Episcopali, et omnia necessaria pro exercitio Pontificalium, et pro aliis Episcopalibus functionibus. Sacra Congregatio Episcoporum in Nicoterensi 27. Junii 1619. (62. Coadjutor separatim Tribunal statuere, aut habere non potest, sed in consueto Tribunali Episcopi jus reddendum est. Sic ex Sacra Congregatione infert Fagnan. in capit. Ex parte quinta, de Cleric. agrotant. num. 27. (63. Episcopus residere tenetur, licet habeat Coadjutorem. Sacra Congr. Episc. in Neapolita 24. Mart. 1597. et in Nicoteren. 7. Sept. 1619.

(64. Coadjutor Archiepiscopi Metropolitan. Bononien. debet præcedere vexillifero ejusdem Civitatis. Sacra Congregatio Rituum in

Bononien. 4. Maii 1592. (65. Coadjutor Episcopus in Synodo Provinciali debet sedere inter Episcopos Provinciales loco suae promotionis, cum propriis radiis fulgeat; sic rurevit Sacra Congregatio Rituum 20. *Septembris 1596.* pro Coadjutoribus Episcoporum Veronen. et Trident. occasione Synodi Provincialis Aquilejensis. (66. Coadjutor Parochi in absentia Coadjuti in functionibus Parochialibus praecedit Beneficiatos, et recipit eadem emolumenta, quae Coadjuto debentur. Sacra Congregatio Conc. in *Lucana 15. Apr. 1690.* (67. De Coadjutoribus perpetuis Canonico- rum, vide verb. *Canonicatus art. 10. per tot.*

(68. Episcopo Titulari Suffraganeo, qualis honor, et praeminentia debeatur in Ecclesia, in qua vice Episcopi Ordinarii functiones Pontificales exercet, innuitur in provisionibus captis a Sac. Congr. Rit. in *Veliterna*, in qua pro parte illius Suffraganei propositis sequentibus dubiis:

1. An saltem aliqui Canonici teneantur eidem Suffraganeo obviam ire usque ad ostium Ecclesiae, ibique ex iisdem dignior Aspersorium porrigere, et in reditu usque ad eandem januam comitari, dum Cappa indutus ad Pontificales functiones obeundas accedit, Antecessoris convivia minime obstante?

2. An eidem Suffraganeo debeatur genuflexorium cum stratu, et pulvinaribus ad orandum ante SS. Sacramentum, dum occasione earundem functionum Ecclesiam ingreditur?

3. An Suffraganeo facienti ordinationes generales in aliquo ejusdem Ecclesiae Sacello (propter impedimentum Altaris Majoris ex causa recitationis horarum in Choro) debeant in eodem Sacello assistere aliqui ex Canoniceis?

4. An dum assistit Concioni Praedicatoris, salutatio ei prius dirigi debeat distincte ab illa Canonico- rum, et Magistratus saecularis?

Sacra Congregatio die 6. Septembris 1698. respondit:

Ad primum, posse de licentia Eminentissimi Decani Episcopi Ostiensis, et Veliterni deferre Cappam, et in hoc casu teneantur duo Canonici ire usque ad ostium Ecclesiae, et dignior porrigat Aspersorium, quo Suffraganeus se ipsum tantum aspergat, et pariter eum associet in reditu usque ad eundem locum.

Ad secundum, in Voto Magistri Caeremoniarum.

Ad tertium, servetur Pontificale cum Missa solemniter in Altari Majori praesente Clero.

Ad quartum, affirmative quatenus sedeat in Presbyterio.

(69. Quia vero in aliis praeminentiis, et iuribus praefatum Suffraganeum excessisse modum Capitulum conquerebatur, eodem tempore per viam reconventionis proponi curavit sequentia dubia:

1. An Suffraganeus Veliternen. occasione functionum Episcopaliu- m solemnium te-

neatur se parare in Sacristia, vel potius paramenta sumere ab Altari, vel in Faldistorio?

2. An valeat deferre Cappam Pontificalem in accessu, et recessu ad Ecclesiam Cathedrali- lem, et quatenus affirmative?

3. An possit sibi deferri facere caudam ejusdem Cappae per alium, seu potius illam deferre teneatur involutam sub brachio sinistro?

4. An similiter possit sibi deferri facere caudam vestis violaceae una cum elevatione fimbriae anterioris in plano pavimenti Ecclesiae?

5. Eidem accedenti ad Ecclesiam porrigi debeat Aspersorium ad januam Ecclesiae per aliquem ex Canoniceis; et an possit Alumnos Seminarii, aliosve circumstantes aspergere, vel potius aquam tantum recipere extremitate digitorum?

6. An possit per Civitatem uti Mantello oblongo coloris violacei cum signis rubeis super vestem nigram interiorem, vulgo Zimmarra?

7. An per Civitatem possit sibi deferri, et elevari facere umbellam sericam viridis coloris?

8. An dum assistit Concioni possit sedere in Sede separata a Canoniceis, vel potius debeat sedere in eodem scamno Canonico- rum, absque tapeto, et pulvinari primus inter illos, in quo habitu?

Quibus Sacra Congregatio eadem supra- dicta die respondit:

Ad 1. Si accedat cum Cappa, in Faldistorio; alias in Sacratio.

Ad 2. Jam provisum.

Ad 3. Negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam.

Ad 4. Negative.

Ad 5. Jam provisum.

Ad 6. Negative.

Ad 7. Negative.

Ad 8. Dilata.

(70. Episcopus Suffraganeus, quando nomine proprii Episcopi exercet functiones Episcopales, debet habere assistentiam Dignitatum, et Canonico- rum. Sacra Congregatio Rituum in *Bracharen. 21. Febr. 1604.* (71. Episcopus Suffraganeus solemniter celebrans non debet habere assistentiam duorum Canonico- rum ultra Diaconum, et Subdiaconum, qui sunt cantaturi Evangelium, et Epistolam, sicut haberet proprius Episcopus, sed sufficit Diaconus, et Subdiaconus, et unus Canonicus paratus cum Pluviali ad librum. Sacra Congregatio Rituum in *Caesaraugustana 9. Maii 1606. et in Bracharen. 1. Septemb. 1607.*

(72. Episcopo Suffraganeo solemniter celebranti non debent Canoniceis assistere, sicuti assisterent Episcopo proprio, sed in habitu ordinario, et Canonicali; eadem Sacra Congregatio Rituum in *dicta Bracharensi.* (73. Episcopo suffraganeo facienti Ordinationes, vel alias functiones nomine proprii Episcopi, Canoniceis debent assistere in habitu ordinario Canonicali praeter aliquos, qui juxta necessitatem Officii debent accipere paramenta; eadem Sacra Congregatio Rituum in *d. Bra-*

charensi. (74. Episcopo Suffraganeo non tenentur Canonicei obviam ire usque ad cubiculum, sicut tenentur proprio Episcopo venienti ad Ecclesiam, sed satis est, si aliqui Canonicei ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiae. Sacra Congregatio Rituum in *dicta Bracharen. 1. Sept. 1607.* (75. Episcopus Suffraganeus solemniter celebrans non debet sedere in Sede Episcopali, sed in Faldistorio; ead. Sacra Congreg. Rituum in *dict. Bracharen.* (76. Episcopus Suffraganeus solemniter celebrans non debet uti Baculo Pastoralis, nisi in Ordinationibus, et aliis actibus necessariis; eadem Sacra Congregatio Rituum in *dict. Bracharen.* (77. Episcopo Suffraganeo solemniter celebranti non debet poni super Altare septimum Candelabrum, sicut ponitur celebrante Episcopo Ordinario; eadem Sacra Congregatio Rituum in *dict. Bracharen.* (78. Episcopus Suffraganeus non dispensat supra Interstitiis, nisi habeat speciale mandatum; neque votum habet in approbatione Ordinandorum, nisi sit ex numero Examinatorum. Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium in *Brixinen. 14. Februarii 1585.* (79. Episcopus Suffraganeus, ubi per Dioecesim pro Pontificalibus exercendis proficisci contigerit, expensas ab Episcopo habere debet; eadem Sacra Congregat. Episcop. in *dict. Brixinensi.* (80. Episcopus Suffraganeus non potest visitare Clausuram Monialium Monasteriorum, nisi sit simul Vicarius Generalis, et ab Episcopo, cujus est Suffraganeus, facultatem Vicarii Generalis, vel aliud speciale mandatum habeat, prout pro Suffraganeis Germaniae declaravit Sacra Congregatio Conc. 17. Junii 1630. l. 4. decr. fol. 3000.

CODICILLUS.

Vide verb. TESTAMENTUM, art. 4, PER TOT.

COEMETERIUM.

ARTICULUS NOVISSIMUS.

SUMMARIUM.

1. Coemeterium quid, et unde dictum. — 2. Coemeterium per Episcopum consecrandum est. — 3. Qui ritus cum ipsa Ecclesiae consecratione coepisse affirmari potest. — 4. Coemeterium tanquam partem Ecclesiae una quasi consecratione cum ipsa consecratur fuisse, innuere videtur Innocentius III. — 5. Coemeterium per solemnem benedictionem a loco profano religiosus efficitur. — 6. Prohibitio negotiationum et cujusvis tumultus in Ecclesiis earumque Coemeteriis. — 7. 8. Coemeteriis tanquam locis religiosis specialis veneratio debetur. — 9. Ex Coemeterii benedictionis formula sat constat, Coemeterium unice benedici ad inhumationem corporum Christianorum. — 10. Admissio in Coemeterio ad ecclesia-

(1. Loca humanis corporibus destinata usitatus et olim et hodie dicuntur Coemeteria a graeco verbo κοιμησις, quod dormire significat; ex eo scilicet, ait Baronius ad ann. 226. quod Fides doceret, Christianos non mori, sed rursus excitandos, interea in Domino obdormire.

(2. Coemeterium ut corporibus Christia-

(81. Coadjutorem habens in animarum Cura, aut in Canonicatu, tenetur residere in loco Parochiae, et Canonicatus, ut Coadjutoris impediti vices supplere possit. Benedict. XIV. tom. 1. *Constit. 135. Quod inscrutabili* § 28.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(82. De Coadjutoria vide, quae diximus in addit. ad verb. *Canonicatus art. 10.* (83. Hic vero tria, eaque magni momenti sunt notanda. Primum est, quod gratia Coadjutoriae cum futura successione minime valida sit, si consensus detur a Procuratore post obitum Coadjuti. (84. Nec obstat, quod aliud sit gratia Coadjutoriae, aliud futura successio, quia utrumque provenit a legitimo consensu Coadjuti, qui non dicitur adesse dum datur a Coadjutore post obitum Coadjuti. Rota in *Seguntina Archidiaconatus 6. Maii 1726. cor. bon. mem. Cornelio.*

(85. Alterum est, quod in Coadjutore ad tempus qualitates necessariae concurrere debent de tempore gratiae, at in Coadjutore perpetuo cum futura successione possunt intra annum concurrere. Rota in *Monasteriensi Decanatus 9. Junii 1738. § 9. cor. clar. mem. Millin.*

(86. Tertium est, quod Coadjutore effecto impotenti ad servitium Ecclesiae, cessat gratia Coadjutoriae, et ita quidem, ut nec successione in Beneficium pretendere valeat ipse Coadjutor. Plenissime Rota in *Mindonien. Coadjutoriae 2. Decembr. 1732. et in confirmatoria 25 Febr. 1735. coram clar. mem. Aldrovando.*

sticam sepulturam videtur esse species quaedam Communionis. — 11. Hinc est, quod excommunicatis, aliisque, quibus in vivis non communicamus, non tantum sepultura sit neganda; sed insuper per eorum in loco religioso sepulturam locus ipse pollui seu profanari censeatur. — 12. Unde excommunicatorum corpora in Coemeterio Ecclesiastico tumulata exhumari debent. — 13. Coemeteria non secus ac ipsae Ecclesiae asylo gaudent. — 14. Coemeteriorum varia nomina, eorumque significatio. — 15. Coemeteriorum usus apud veteres. — 16. Cadavera in Civitatibus sepeliri per leges vetitum. — 17. Qua de causa factum sit, ut intra civitates indiscriminatim omnibus sepultura concessa sit. — 18. Lex, per quam in regno Neapolitano Coemeteria extra civitates construi jubentur.

(1. Loca humanis deserviat, prius in locum religiosum per Episcopum solemniter erigendum et consecrandum est.

(3. Hujus ritus consecrandi seu benedici Coemeteria videtur etiam Sanctus Gregorius Turonensis de *Gloria Confessorum cap. 106* meminisse; adeo ut consecrationem Coemeterii cum ipsa quodammodo Ec-